



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XI. A Petro Principe Apostolorum Cephem, cui restitit Paulus, non
esse diversum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT XI.

A Petro Principe Apoſtolorum Cepham, cui reſtitit Paulus, non eſſe diverſum.

S U M M A R I U M.

1. An Cephas ſit alius, quàm Petrus.

2. 3. & 4. Probatur propoſitio.

5. 6. 7. 8. & 9. Solvuntur Objeſtiones.

An Cephas
ſit alius
quàm Pe-
trus

NON erraſſe Petrum in fide ſe à Gentibus ſubtrahendo, animique inſpecta intentione à culpa ſaltem gravi excuſandum, paulo ſupra adverſus Porphyrium, Novatorumque phalanges perſcripſimus. At fuerunt nihilominus quidam veteres, qui ut facilius Petrum defenderent, affirmarunt Cepham à Paulo reprehenſum eſſe alium à Principe Apoſtolorum. Quorum opinionem jam extinctam, & rursus excitatam ab Harduino & Boileau ſcribit Eruditiffimus Calmet Diſſert. 1. in Epiſt. ad Galatas, & in Diſtionario Biblico V. Cephas. Verum ante Harduinum illam propugnarunt Heſtor Pintus in Daniele, & Bartholomæus Cornera de Jejunio cap. 6. imo Harduini argumenta à Patrum maxime testimoniis deprompta collegit, brevique ſolvit Suaresius de lege veteri libro 19. Talem vero opinionem à Hieronymo, aliisque Patribus, à Scholaſticis etiam & ſacrorum librorum Expoſitoribus reſutatam proxima poſitione expendam.

1. PROPOSITIO. Cephas, cui Paulus in faciem reſtitit, non fuit alius à Petro.

Et Petrum quidem cognominatum fuiſſe Cepham extra controverſiam poſitum eſt. Eiquippe ait Chriſtus Jo. 1. 42. *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Huic ergo Cephæ, non alteri, quem nonnulli dicunt fuiſſe unum ex diſcipulis Domini, & quidam Martialem Lemo- viciſem Episcopum, Paulum reſtiſſe, haud obſcure colligitur ex cap. 2. Epiſtolæ Paulinæ ad Galatas. Ibidem enim v. 8. legitur: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes:* ibique Apoſtolorum principem deſignari, & expreſſum nomen demonſtrat, & character Apoſtolatus. At proximo v. 9. legitur: *Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteræ dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem.* Atque huic Cephæ reſtitit Paulus, ut liquet ex verſu xi. ſequenti. Fruſtra autem Cepham verſu nono commemoratum jaſtant diverſum à Petro.

Primo enim conſtat ex verſu immediate præcedenti Apoſtolum ſermonem inſtituiſſe de Petro: deinde tres illos Petrum, Jacobum, & Joannem ſui & Barnabæ comparatione Eccleſiæ columnas appellat: præterea repetit fuiſſe Apoſtolos circumciſionis, uti ipſe ac Barnabas Gentium. At circumciſionis Apoſtolum, ut vidimus nuper, non alium quam Petrum intelligit. Conferas Actus Apoſtolicos, & percipies ex cap. xv. 7. & 13. Petrum & Jacobum ſimul conſtituiſſe Jeruſolymis operam dantes converſioni Judæorum; Paulum vero ac Barnabam miſſos ad Gentes conſtat ex cap. xiiii. 2. & 7. Quod inquit hunc Cepham non eſſe Petrum, quoniam poſt Jacobum commemoratur, optime ſolvitur à Calmet exemplis aliis Scripturarum, ubi in perſonis laudandis non ſervatur dignitatis ordo, ut ad Rom. 16. 3. ad Corinth. 1. cap. 16. 19. in ipſa Epiſtola ad Galat. v. 1. & in 1. Joan. 11. 24. Et videtur mihi poſſe ſutilem illam reſponſionem contra Harduinum retorqueri. Si enim de Cepha non Apoſtolo loquitur Paulus; cur illum præfert Joanni? Si etiam Joannes eſt ignotus diſcipulus, non Evangeliſta ille, & Apoſtolus: cur Paulus jam ſegregatus à Spiritu Sancto, & Apoſtolus Gentium deſtinatus, de tribus illis tanquam dignioribus ait, quod videbantur eſſe columnæ, & tanquam honorem maximum ſibi collatum narrat, quod ſibi ac Barnabæ dederint dexteræ? Ad- do, eſſi Vulgatam præ cæteris recipio, proboque, extare antiquiſſima Mſ. citata à Grotio, in quibus Cephas præcedit, non interponitur Jacobum inter ac Joannem, eoque ordine hunc locum citari à Veteribus.

Probatur præterea ex v. 11. & 14. In primo namque Vulgata legit, *Cum autem veniſſet Cephas Antiocchiam;* in altero, *Dixi Cepha coram omnibus:* & ſimiliter habet Syriaca, nam Petrus latine, Syriacæ Cephas dicitur. Pervetuſti autem Græci Codices habent v. 11. *Ὅτε καὶ ἡλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν,* & v. 14. *εἶπον τῷ Πέτρῳ ἐμπροσθεν πάντων;* & ſimiliter utroque loco Arabica. Cephas

3.

Probatur 2.

62

ergo hac in Epistola non est alius à Petro. At inquit, nostra Vulgata, quæ sola authentica est, *Cephā* habet, non *Petrū*. Id quidem inepte dicunt. Nam & supra v. 8. *Petrū* habet. Summam vero auctoritatem Vulgatæ postulare ne propriorum saltem nominum significationem ex aliis Versionibus mutuemur, soli negant indocti, & ad literas excolendas pigerrimi. Nullus præterea Cephā nomine fuit diversus à Petro; aut si fuit, ejus non meminit Epistola Pauli ad Galatas.

4. Probatur 3. Et nullum quidem alium fuisse Cephā, est expressa sententia Hieronymi in hanc Epistolam Comment. *Primum respondendum, alterius nescio, cujus Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa modo Petrus, modo Cephā scribitur: non quod aliud significet Petrus, aliud Cephā: sed quod quam nos latine & Græce petram vocamus, hanc Hebræi & Syri propter linguam inter se viciniam Cephā nuncupent.* Dices, opinor, Cephā quoque appellatum Martialem Episcopum Lemovicensem, ut constat ex titulo illius Epistolæ ad Tolosanos Tom. 3. Bibl. SS. PP. His respondemus illam Epistolam esse suppositam; quoniam illius Auctor scribit se baptizasse Stephanum regem, profertque loca Scripturæ ex Versione Hieronymi. Dicimus præterea Martialem profectum in Gallias anno duntaxat 254. ut habet Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. cap. 10. Deinde admissio quod in Gallias venerit Apostolorum ætate, Martialis non appellatur solo nomine Cephæ, sed *Martialis Cephā*. Ad hæc: dicitur ab iis, qui falso illum referunt ad sæculum Apostolicum, missus in Gallias anno post Christi passionem xiv. Paulus autem restitit Cephæ anno post Christi mortem xix. Et enim Christo nomen dedit biennio saltem post ascensionem Domini anno Ae. V. xxxi. Post tres annos à conversione sua venisse Jerosolymam, ipse affirmat eadem Epist. ad Gal. cap. 1. 18. Ascendit iterum Jerosolymam post annos xiv. quo tempore Petrum redarguit, ut habetur cap. 11. 1. Demum scribit Hieronymus citato loco sensum eorum, qui Cephā à Paulo secernunt, repugnare argumento Epistolæ, *quod oblique de Petro, Jacobo, & Joanne dicitur.* Itaque, quod demonstrandum erat, aut Cephā non fuit alius à Petro; aut si fuit eo nomine aliquis, de illo in Epistola ad Galatas nulla fit mentio.

Opp. 1. Cephā à Petro diversum

esse affirmat S. Clemens Alex. lib. v. Hypotyposeon, Eusebius lib. 1. cap. 12. Dorotheus Tyrius in Synopsi, Chronicon Alex. & in Epist. ad Galatas Oecumenius. Primo respondetur adversus hos perpaucos stare Patres omnes tum Græcos, tum Latinos; inter quos laudandi sunt præsertim Tertull. de Præscript. cap. 23. Cyprianus Epist. 71. Hieronymus supra laudatus, Augustinus Epist. 28 40. 82. de Agone Christi. cap. 30. Ambrosiaster in Epist. ad Galat. S. Gregorius Magnus hom. 18. in Ezech. S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. Neque hi opinative locuti sunt, sed assertive: & quidam, ut Hieronymus, questionem accurate pertractant: quidam, ut Gregorius, scribunt quod Adversarii, *Si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.* Deinde respondeo librum Hypot. dubiæ esse auctoritatis, & foede erroribus confurcatum. In eo quippe, auctore Photio Cod 109. asseritur materia Deo coætæna, Animarum transmigratione, Angelorum cum feminis concubitus, Evæ ex Adamo obscena productio, & alia id genus sexcenta, quæ hæreticorum insaniam habent, non Clementis salivam. Ait Calmet etiam Boileau dubitare, num fuerit genuinum opus Clementis. Animadverti dubium hæere etiam Photium, qui codice citato à Calmet non solum libri errata connumerat, sed inquit ulterius, *Sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus &c.* εἴτε αὐτὸς εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρῶτον ὑπομνήσει: arbitror scriptum à Clemente; nam sub ejus nomine laudatur ab Eusebio, sed lacinis scedissimis, fabulisque fraude aliena confutum. Ipse autem Eusebius sententiam narrat, nec rejicit, nec probat. Ab Oecumenio etiam dicitur *probabilis sermo, πιθανὸς ὁ λόγος.* Cæteros mitto.

6. Opp. 2. Cephā fuisse diversum à Petro colligitur ex Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. 12. ubi Apostolus ait: *Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo, ego vero Cephæ: ego autem Christi.* Ex quo loco apparet Cephā judaizando in Ecclesia quoque Corinthiaca fecisse scissuram. Item ex cap. 15. ejusdem Epistolæ, ubi de Christo ait: *Visus est Cephæ, & post hoc undecim.* At ex Luca xxiv. 34. liquet primum apparuisse undecim, deinde Simoni. Cephā ergo est à Simone diversus. Resp. 1. Dato etiam fuisse aliquem discipulum Cephā nomine, non de isto, sed de Apostolo circumcisionis, de columna Ecclesiæ, de eo qui simul cum Jacobo Judæorum salutem navavit ope.

5. Obiectio 1. cum solutione.

6. Obiectio 2. & solutio.

operam, ſuaque auctoritate dedit dexteram, id eſt, mandavit prædicationem Gentium Paulo, & Barnabæ, in Epiftola ad Galatas inſtitui ſermonem. Deinde reſpondetur & de Petro loqui Apoſtolum in 1. ad Corinth. cap. 1. 12. Quis enim credat ſanctum aliquem diſcipulum à Paulo reprehenſum poſt Concilium Jerofolymitanum Corinthi circa obſervationem legalium iterum exciſſe diſſidia? Planam huius loci intelligentiam exhibet nobis S. Clemens in Epiftola ad eosdem Corinthios, ubi de Paulina ſcribit: *Profecto in ſpiritu ad vos literas dedit de ſeipſo, & Cepha, & Apollo, quia etiam tum diverſa in ſtudia ſciſſi: ſed varia illa animorum inclinatio minus peccatum vobis intulit: propendebatis enim in Apoſtolos teſtate ſanctitatis, & in virum ab illis probatum.* Vide Tom. 1. PP. Apoſt. pag. 174. & notas in hunc locum Cotelieri. Apparuiſſe autem Chriſtum Simoni primum, deinde XI. ſcribit, ſi attente legeris, etiam Lucas eodem cap. v. 36.

7. **Objeſtio 3. & Solutio.** Opp. 3. In ſententia, quæ Petrum non diſtinguit à Cepha, arguitur princeps Apoſtolorum erroris in fide, & Paulus, qui illum redarguit ſummæ procacitatis, & audaciæ. Reſponſum eſt ſupra cum Cypriano & Auguſtino, Petrum non erraſſe in fide, quoniam legalia nondum erant mortifera; atque in reprehensione Apoſtoli præclarum nos exemplum habere & ſanctæ humilitatis in Petro, & juſtæ libertatis in Paulo.

8. **Objeſtio ultima & Solutio.** Oppones ultimo. Subortis circa obſervantiam legalium diſſidiis Antiochiæ, Paulus proſectus eſt Jerofolymam, ubi in Synodo Apoſtolorum, cui præſuit Petrus, ſtatutum eſt, ne ultra jugum Moſaicorum rituum imponeretur credentibus, ut conſtat ex cap. xv. Act. Ap. Paulus autem reſtitit Cephæ Antiochiæ, ut habetur in Epiftola ad Galat. cap. 11. Si ergo Petrus erat Jerofolymis; quomodo reſtitit illi Paulus Antiochiæ? Vulgaris eſt reſponſio, quam tradit laudatus Calmet, Paulum abſoluto Concilio ſtatim reverſum antiochiam; quo poſtea ſe contulit Petrus diſſidiis jam compoſitis, & ab Eccleſia Corinthiorum receptis definitionibus Apoſtolicis; poſtquam vero Petrus advenerat Antiochiam, contigiffe quæ narrantur in Epiftola ad Galatas. Sed Auguſtinus in Epift. 82. ad Hieronymum probabilius cenſet hæc geſta ante Jerofolymitanum Conventum; nam poſt verba S. Patris producta ſuperiori cap. Prop. 3. habetur: *Si autem hoc, quod magis arbitror, ante illud Jerofolymitanum Concilium Petrus fecit &c.* Ideo reſpondeo non eſſe eandem proſectionem Pauli ex R. P. Berti Theol. Tom. IV.

Antiochia in Jerofolymam, quæ narratur cap. xv. Act. Apoſt. & quæ deſcribitur Cap. 2. Epiftolæ ad Galat. Et quamquam certam figere Epocham non auſim, dico Concilium Jerofolymitanum ſaltem biennio eſſe poſterius, ſi recte à recentioribus collocatur ad annum Ae. V. L. vel LI. Nam ego cenſeo Chriſtum paſſum anno Vulg. Ae. XXIIX. quibus ſi addamus XIX. quos vidimus fluxiſſe uſque ad Reprehenſionem factam Petro, nonniſi ad annum Ae. V. XLVI I. pervenietur.

Ait Calmet hanc diſtinctionem temporum nimis fluxam eſſe, & incertam, nec tam levi conjectura ſatiſfaciendum contrario argumento. Verum cum ipſe fateatur non convenire Scriptores circa annum Jerofolymitani Conventus, & ſive ante, ſive poſt Pauli & Cephæ diſſidium evenierit, adhuc eſſe diſcrimen, dummodo demonſtretur in Epiftola ad Galatas non enarrari quod extat in cap. Act. Apoſt. quintodecimo, omnis contradictio evaneſcit, ſimulque evincitur priorem reſponſionem niti longe levioribus conjecturis. In Epiftola ergo ad Galatas res diverſas narrari colligitur, quia cap. 11. 2. ait Apoſtolus, veniſſe Jerofolymam, *ſecundum revelationem*, id eſt, Divino monitu ductum: in cap. xv. Act. habetur, ſtatutum fuiſſe, *ut aſcenderent Paulus & Barnabas*, hoc eſt, Eccleſiæ Antiochenæ conſilio, non ſpeciali facta Paulo revelatione. Priori in loco aſſeritur cauſam, cur jerit Jeruſalem, fuiſſe, ut conferret cum Apoſtolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucuriſſet: in poſteriori autem ob ſeditionem excitatam à Judæis, & ob ſolam quæſtionem circumciſionis. Ibidem dicitur aſcendiſſe cum Barnaba & Tito; quod factum affirmat Hieronymus, ut prædicationis ſuæ ex Circumciſo, & Gentili haberet teſtimonium. Iſtic vero nec Titus ab Eccleſia deſtinatus legitur, nec ab Apoſtolo aſſumptus. Aſſignatur etiam in Ep. ad Galat. decreviſſe Petrum, Jacobum, & Joannem, ut Paulus & Barnabas converterentur ad Gentes, quod in Act. Apoſtolorum fuerat jam narratum cap. XI I. Quod autem poſt Jerofolymitanum Concilium ſtatim Petrus ſe contulerit Antiochiam, ibique fuerit à Cepha reprehenſus, in capite xv. non invenies. Igitur ex collatione Epiftolæ ad Galatas cum Actibus Apoſtolicis, quoniam diverſam proſectionem, diverſamque Pauli cauſam enarrant, fruſtra ſententiam noſtram damnant antilogiæ, qui Cepham diſtinguentes à Petro, Magno Gregorio auctore, *ſi Pauli ſtudioſius verba legiſſent, iſta non dicerent.*

9. **Oppoſitio Calmetis & Reſponſio.**